UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri Disertissimi, Opera quæ exstant omnia

Sadoleto, Jacopo

[Francofurti], 1607

II. Ad Evndem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-69244

Visual Library

ope literis facias nota. Nos hîc fructibus annuis condendis, non parum laboris moleſtiæque ſuſcipimus, è quibus decumæ vini vſque eò fuere vberes, vt eas nullæ neque cellæ neque apothecæ capere potuerint. Itaque neceſſe eſt, lacus eos ipſos, in quibus muſta ferbuerunt, doliorum inſtar adhibere: quibus à ſummo munitis compactis aſſeribus, & ad omnem introitum externi aeris probè obſtructis, confidunt iſta qui norunt, vinum incolume nos ſeruaturos. Ego hæc non tam quidem intelligo, quàm quæ peculiaris mea curatio eſt. Hortos ſuburbanos ita pulchrè habeo inſtructos omni huiuſmodi copia, vt optimè proſpectum in æſtatem proximam ſit: ad quod tempus te expectabimus: &, niſi erit maior iſthic manendi cauſa, etiam accerſemus. Vale mi Paule, & ſi nos diligis, valetudinem tuam cura diligenter. Florebello noſtro & cæteris ſalutem. VI. Cal. Octob. M. D. XXXV. Carpentoracti.

II.

AD EVNDEM.

Latinvs Iuuenalis, homo & ingenio & rerum vſu prętans, mihi iam inde ab adoleſcentia notus, hàc iter faciẽs Aueniorem verſus, rerũ illarũ quæ ad eccleſiam Auenionenſem ſpectãt confirmandarum gratia legatus à Pontifice: mecũ erat plurib. de rebus collocutus, de quibus aliis literis ſcriptum eſt à me tibi perdiligenter. Verùm cùm is tum à me diſceſſiſſet, tanquam alio itinere rediturus ad vrbem, neq; me amplius viſurus: nihilominus mutata ſententia, heri veſperi huc ſe retulit, amanterq́; eſt à me hoſpitio acceptus. Sumus enim perdiu iam familiares. Cogitabat autem ipſe hodie cum prima luce proficiſci, (nam hæc ego ſcribebam ante lucem) & cum eo aderat Raymũdus Vitalis noſter. Has ei literas daturus ſum ad te perferendas, quas cùm acceperis, fac vt conuenias hominem, eumq́; tibi in amicitia adiungas: probũ cum virum, & integrum, & magni animi, & bonorum amantem, fautorem q́; cognoſces. Plura ad te ſcribam cùm tuas aliquando accepero quas auidè expecto; neque enim citeriores iis habebam, quas ad Tarum dediſti. Vale.

III.

AD EVNDEM.

Literas tuas pridie Nonas Nouembr. veſperi, & ipſis Nonis poſtridie manè, cùm in prandio iam diſcubuiſſem, eſſentque mecum vnà Cæſariſta, Cuſanus, Oppeda, Vellarenus, multijuges accepi, & Florentiæ, & Viterbij, & in ipſa vrbe iam bis datas:

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN